CAMILLI SCLAFENATI


EX DOMINIS VILANTERII, IVRECONSVLTI

EX COLLEGIO MEDIOLANI EQVITIS ET COMITIS.

ET IN FIRMANO GYMNASIO *primi legum Interpretis Oratio habita in eodem Gymnasio in ipso profitendi principio.*

Anno M. D. LXXXIX.

DE CONSENSV SVPERIORVM.







MEDIOLANI.

Secunda Editione, Apud Iacobum Picaleam, & Gratiadeum Feriolum socios. M. D. XC.

BEATISSIMO, AC SANCTISSIMO

PATRI SIXTO QVINTO PONTIFICI O. M.



EBETVR Sanctitati tuæ Diuinis virtutibus, ac proxima Deo dignitate Sacrosanctæ Pontifex, vt Christiani nominis omnes te veluti sanctum in terris Numen piè venerentur, & in tuâ gratiæ patrocinium insinuare se se studeant; Sunt tamen mihi præcipuè huius desiderij, sicut eximiæ simul venerationis, ac cultus causæ; illa alios moueant, quòd in supremo omnium dignitatum fastigio collocatus in ea quoq. potestate sis positus, vt vnico verbo, quin ipso ictu oculi innumeros præclarissimis beneficijs exornare, ac beare possis, à me verò singularem cultum flagitant, & vt hac cupiditate exardeam, requirunt insignia in familiam meam merita, cùm tam illustri beneficentiâ tantùm splendoris gentili meo Iulio Sclafenato sit additum, dum nobilissimæ totius Italiæ prouinciæ, & ipsa in primis patria tua iam penè pari (sit fas ita loqui) cum Bethlehemitico vico laude celebranda eius integritati, ac prudentiæ tam decoro, & glorioso de illius virtutibus iudicio summo cum imperio sint concreditæ, vt pulcherrimus Italiæ tractus omnium rerum felicitate, quibus prouinciæ commendari so-

lent, insigniter instructus multis abhinc annis tot procellosis turbinibus agitatus, tam miserè à perditissimis hominibus oppressus, atq; afflictus desperato propè, ac deplorato præsidio subleuaretur; vtq; Scironibus, Cacis, Procrustibus infestus, atq; infamis his hominum monstris expurgatus antiquæ securitati, & gloriæ restituerentur, quod quidem beneficium adeò, & amoris plenum iudicium facit, vt ab eadem beneficentia ampliora etiam, & firmiora sperare audeamus; fatale scilicet est ad familiam nostrã exornandam Sixti nomen, & Franciscanæ Religionis Numen; Nam & olim Sixtus Quartus iam supra annos centum ex illa duos, Vasionensi alterum, Parmensi alterum, insignibus duobus Episcopatibus decorauit, tertium etiam ad Cardinalatus culmen euexit, & totam agnationem gentilitio suo insigni querna arbore donauit; Accedit ad has causas, quòd Firmana ciuitas, quæ ipsa etiam te ciue gloriatur, & Firmanæ Ciuitatis Gymnasium tuæ Sanctitatis munere superas ue luti in auras reuocatum sub tuo simul patrocinio gloriosè conquiescit, splendidissimè illustratur; Quamobrem cùm in eo ad primum Iuris Ciuilis interpretandi suggestum sim delectus, imparibus licèt ad tantum oneris perferendum viribus, in hoc ipso video, quales me fatuo, & subrustico pudore reluctantem hactenus compellant potius, quàm impellant causæ, vt ad sanctitatis tuæ pedes, qua absens ratione possum reuerenter procumbens tibi debitum officium, obsequium, ac seruitium iurans humillimum me seruum tuum non obscura aliqua testatione profitear; iustum tamen opinor, & conueniens fuit in hoc vsq; tempus distulisse: iustum enim erat feudalium consuetudinum obseruantia,

vt qui me, meaq; omnia iurisdictioni, & Imperio sanctitatis tuæ deuoueram, meq; Homoleugium in Vassallitium tuum darem, subiectionis aliquod signum offerrem: Arripui igitur gaudens præbitam occasionem, dum meam hanc qualemcumq; orationem, testem certè futuram erga Sanctitatem tuam religiosi cultus mei, & in Firmanam Ciuitatem propensionis, & obseruantiæ, eiusdem Ciuitatis desiderio indulgens typis excudendam libens concessi, vt hæc ipsa sanctitatis tuæ nomini consecrata sit instar solutionis census, quem fidelis Vasallus supremo Domino persoluit: Te suppliciter precor Beatissime Pater, vt eam in sacrosanctæ Maiestatis conspectum prodire verecundantem benigna fronte excipere, meq; ipsum in addictissimorum clientum, & seruorum tuorum numerum ascribere non dedigneris; Sic te Deus Optim. Max. Christianæ Reipublicæ beneficio bonorum omnium vota adimplens incolumem quàm diutissimè conseruet.

Sanctitatis Vestræ.

Humillimus seruus.

Camillus Sclafenatus.

Francisci Guaschi Patritij Alexandrini, & in firmano Gymnasio legum scholaris.

QVAS fudit quondam generoso pectore voces,
Debita qui Magni nomina prima tulit,
Innumeris toto positis Oriente Trophæis,
Pelidæ tumulo lumina fixa tenens.
Nunc fama celebrata magis Gymnasia fundent,
Firmani quoniam gloria maior erit.
En eius laudes tuba qualis grandius ipsa
Intonat Iliade, summaq; in astra vehit.
Quid reliquum? cur non inter caput omnia tollat,
Quantum inter frutices robora celsa solent;
Præsidio SIXTI fælix, SIXTIq; nepotis,
Et studijs sedes firma perennis erit;
Vrbs fælix tali decorum præcone suorum,
In legum tenebris, & face, luce, Duce.

DEL

Del Sig. Gio. Battista Visconte, scolar Milanese a Fermo,

SE sin' hor' Fermo dei gloriosi fregi
Ch'il tuo CAMILLO *à te chiaro tessea*
T'hauea in'uidia il Tesino, e si dolea,
Vedendo in te fiorire gl'alti suoi pregi:
Hor piu si duol che di quel suon de fregi
Ond' allettato altero ei si godea
E far chiaro & eterno si credea
Il nome suo, non i tuoi merti egregi.
Che più manca à tua lode alma Cittade
Hor ch'inuidia il tuo preggio eccelso, e raro
Tesino, e gl'altri quanto, ch'egli alteri.
Perche dunq; non godi e lieta speri
La stessa inuidia a la futura etade
D'huom'e per se, e per gl'aui illustre, e chiaro.

EX DOMINIS VILANTERII,
IVRECONSVLTI EX COLLEGIO
MEDIOLANI EQVITIS ET COMITIS.
ET IN FIRMANO GYMNASIO PRIMI

Legum interpretis Oratio habita in eodem Gymnasio in ipso profitendi principio.



LLVXIT tandem, illuxit ille dies, quem votis potius timidè optarem, quàm spe concipere auderem; neque verò optatius mihi quidquam fuit, aut eße debuit, quàm, vt quando Diuino (vt opinor) annuente Numine hanc iuris ciuilis profitendi prouinciam sum ingreßus; tandem aliquando ad opimi honorarij decus, & primi subsellij honorem liceret peruenire. superauit spem, ac vota nostra benignus Deus eiusmodi mihi oblata occasione, qua neq; fructuosam magis, neq; splendidam concupiscere animus meus poßet; sed mitto vtilitatem, quam spectare humilioris sit, & angustioris animi, ad decus solum, & gloriam mentis aciem intendo; quid ad nominis mei famam decorum magis, quid gloriosius potuit contingere, quàm, vt tanto disiunctus terræ spatio accersirer ad eam vrbem, ad quam ne minima quidem auditione nomen meum peruasisse existimarem; id verò, quòd perhonorificis adeò conditionibus, quantum existimationis adiungit? adij-

citur cumulus, quòd nobilissima in Italia prouinciæ ad nobilissimam Urbem sum euocatus, in qua ego Cœli fœlicitatem, agrorum vbertatem, collium fertilitatem, maris opportunitatem, amœnissimos prospectus laudanda quidem, sed non admodum extollenda, ac suspicienda arbitror; sunt hæc cum alijs communia, sunt fœlicitatis potius, quàm virtutis, illa admiror, & admirans obstupesco, non admiranda tamen in Firmana Vrbe firmissima Romanorum Colonia, qui, religionis, fortitudinis, & constantiæ præcipuis laudibus commendantur, quin potius admiranda tamen singulari talium exemplorum inopia, constantissimè retentam, à quo tempore iam supra mille annos suscepta est, erga præpotentem Deum, & Romanos Pontifices Religionem, ac fidem nullis perculsam, nullis labefactatam periculis; clarissimos in omni dignitatum, & virtutum genere viros, seu militarem gloriam respiciamus, sic huic prouinciæ, huic præsertim Patriæ propriam, vt Martis alumni plerique omnes meritò sint appellandi; siue ad togæ, & scientiarum decora oculos conuertamus, per quæ ad summa honorum culmina, & ipsos Cardinalatus apices plerique ciues vestri conscenderunt, per quæ omnia Ciuitas hæc amplissimis priuilegijs à summis Pontificibus, & Imperatoribus est exornata: per quæ omnia, sicut cæteras prouinciæ ciuitates præcipuis ornamentis antecellit, sic iusta, ac debita vestræ Vrbis, atque orbis lucidissimi luminis, Sixti Quincti liberalitate Archiepiscopatus dignitate præfulget; hæc si cuncta ornamenta desint, vnum adest cunctorum instar, Cœlo demissus, & in sacro solio collocatus ciuis vester Sixtus Pontifex omnium linguis per

sæcula

sæcula omnia celebrandus, à quò refrenatas libidines, compressam furiosorum hominum audaciam, cohibitas cædes, coercita latrocinia, redditam tuto, ac tranquillo animo viuendi securitatem, cumulatos ad christiani nominis cultum propagandum, & Pontificium decus tuendum, atque augendum thesauros, superata ædificiorum elegantia, & magnificentia, quibus antiquitas gloriabatur, septem mundi miracula, aurea planè restituta tempora agnoscimus; quin hoc ipsum etiam desit, an non habet hæc prouincia, in quo, quàm ipsa Roma Mundi caput, perpetua Pontificatus sedes, sanctissimarum reliquiarum Thesaurus, altiore gloriæ fastigio extollatur; in hoc illa huic submittat fasces, in hoc det manus, in hoc ceruicem subijciat, quòd hanc præ cæteris prouinciam delegerit sanctissima Virgo, Regina Cœli, Redemptoris nostri Mater, in quam cellulam olim suam Angelorum sublatam manibus tanto miraculo trāsferrent hæc si latius persequi, & dignis conet encomijs illustrare, imprudens nimium tantarum laudum, & virium mearum æstimator, tum verò fatuum Athenienses, (vt vetus est dictum) Athenis laudare, fatuus sim magis, & impudens, cùm hæc omnia pio pariter, & erudito præclarissimi ciuis vestri Cæsaris Otthinelli labore ex varijs historijs decerpta, antiquitatibus eruta ad æternam memoriam Typis sint demandata; illud fortasse desiderari quis dixerit ad summam meam existimationem, & gloriam Gymnasii huius vestri, si non planè noui, at per diuturna tempora iacentis, ac consepulti, nunc nuper rediuiui nouitatem; inesse enim videtur quadam vetustati veneranda maiestas, & quasi religio,

quam nouitas non admittit; quid verò minus? imò ex hoc ipso omnibus absolutam numeris, omni ex parte perfectam gloriam meam existimo; si enim in religionis hominum conuentibus, qui sub varijs Diuorum nominibus sunt instituti, hoc ipsum contigisse cernimus, vt qui primis nascentis & excrescentis Religionis initijs interfuerunt, ij doctrina præstantia, & vita sanctitate vsq; adeò emicuerint, vt pleriq; omnes in cælestium Numinum cœtu sint relati; si in ipsis templorum constructionibus cæmenta prima, primos lapides à summis Principibus, & Episcopis defigi cernimus; quid de me aliud loqui, quid cogitare poterit posteritas (fallaci licet coniectura) quàm me honestissimis moribus exornatum, admirabili doctrina effulgente, omnibus virtutibus conspicuum extitisse, qui ad vestræ huius Florentissimæ aliquando futuræ Academiæ, si non prima prorsus ponenda fundamenta, at paulo altius humo attollenda sim delectus? quis verò hoc dubitet, futurum breui, ut uestra hæc Academia ad summam nominis celebritatem perueniat, & cæterarum omnium luminibus obstruat? glorietur Parisiensis, & Ticinensis conditoribus Anglis à Carolo Magno transmissis, lætentur aliæ primis auctoribus suis; hæc verò tantorum Pontificum, Bonifacij, Eugenij, Calixti, Sixti demum ter omnium maximè auctoritate erecta, confirmata, resurgens; hæc tanti Cardinalis, in quo non annos excelsa dignitas, sed eximius virtutum chorus ætatem præcurrit, hæc eius in cuius humeros Patruus Imperij molem quandoq; respirans reclinet, ad quod ille onus in tenella adhuc ætate non labans, non titubans, non incuruus proh Deus quale futurum suo tempore adultarum

virium

virium robur promittit pro sibi commissi christiani gregis felicitate & hac, vt vno omnia complectar, tanti Pontificis digni ex sorore pronepotis patrocinio innixa, decorata, refulgens felicioribus auspicijs exultet, ac triumphet. Iure equidem gratulabar mihi antea, & magnopere gaudebam; cùm enim Deus Opt. Max. ad communem hominum vtilitatem omnia procrearit, nosq; ipsos, vt alij alijs, vt huic humano generi totis viribus prodesse contendamus; cur non gauderem, cum eam me ad id præstandum delegisse viam cernerem, quæ vtilitate, necessitate, dignitate, & Diuinam promerendi gratiam commoditate præstaret? si propriam vtilitatem quærimus, hæc est, quæ illa omnia, quæ in hac vita expetuntur, & celeriora, & ampliora tribuit opes, honores, famam; hàc itur, hic est cursus, hunc cursum tenuere fulgentißima nostri iuris lumina, Cardinalis Zabarella, Parisius, Alexandrinus, Sfondratus, Alciatus, hunc alij innumerabiles, hunc paucis ante annis in cælum sublatus sanctißimæ memoriæ Gregorius Pontifex; sin verò, quod iustius est, de humano genere benemerendi facultatem quærimus, si communem hominum vtilitatem respicimus, quid iuris ciuilis scientia, quid eius explicatione vtilius excogitari, ne quidem potest? hæc est, quæ supplicia vitijs, virtutibus præmia proponens, ab iniuria, cædibus, & rapinis tutam, florentem, ac beatam, tot commodis, tot felicitatibus auctam, decoratam hanc hominum coniunctionem præstat: hæc est quæ potentiorum opibus resistens, humiliorum infirmitatem subleuans iubet honestè viuere, iubet alterum non lædere, ius suum vnicuiq; tribuere: quid verò tot habere prudentissimè constituta, tot

sapientissimè præcepta, tot leges sanctissimas conditas referret, nisi extarent, qui earum implicitos sensus explicarent, nodosas perplexitates soluerent, obscuritatem illustrarent? Sed quid eam iuris ciuilis cognitionem, & traditionem vtilem esse contendo, quam veriùs necessariam appellare debeo, & ita, vt sine illa nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuersum genus stare, nec mundus ipse possit? sine legum moderatione, sine earum traditione neq; feritatem homines exuere, neq; in vnum coalescere, neq; ciuitates condere, neq; melioribus parere in animum induxissent; feræ mehercule rationis expertes, inanimata saxa essemus: quid enim aliud aut illas fuisse feras putemus, quas Orpheum vocis eius & lyræ dulcedine captas secutas legimus, quàm rudes & agrestes homines, quibus antra pro domicilio, pro cibo pabulum, quibus omnia præter imaginem ferina essent, quos ille vir prudentissimus iustè, & ciuiliter uiuendi præceptis delinitos ad mansuetiores cultus deduxit, aut quid aliud Amphionis testudine ad muros Thebanæ arcis construendos tracta saxa arbitremur, quàm incultos homines, stupidos, & saxeos ijsdem iustè, & ciuiliter viuendi præceptis allectos in vnam societatem, ac veluti corpus congregatos? Iam verò quanta insit huius iuris profitendi muneri dignitas, quantus splendor, quis non videt? siue ipsius scientiæ excellentiam intueatur, quæ vitiorum expultrix, ciuitatum gubernatrix, Regina omnium virtutum appellatur, siue in illos intendat oculos, qui per hanc ad summa honorum culmina sese extulerunt, & quotidie euehuntur? Illud autem quanti est, quàm honorificum, conuenire anxios præstituto hora momento nobilissimos Adole-

scen-

ſcentes, nullo aut frigore retardatos, aut ſomno pigros, aut æſtu languidos, pendere omnes ab vnius ore, figi omnium in vnum oculos, non nutare, non nictare, non penè ſpiritum trahere audere, eam nobis fidem, eam reuerentiam præſtari, vt idem nobiſcum ſentiant, idem velint: proh Deus quàm hoc eſt decorum, quàm Regium, quam propè Diuinum? Hinc ille Syracuſanus Tyrannus vir ſapientiſsimus, licet omni vitiorum genere obrutus, regno pulſus, Corinthi ludum aperuit, proximum hunc Regiæ Maieſtati ſtatum arbitratus: ſed quid hæc argumentor? ille, ille inquam Rex Regum, Dominus Dominantium, in cuius poteſtate ſunt omnium poteſtates, & iura Regnorum, nonnè ſe ipſum Magiſtri nomine appellauit? non nè ſe talem, quoad hanc mundi ſedem incolere eſt dignatus, ſemper docendo præſtitit? quis igitur dubitet, quàm gratum ſit omnipotenti Deo hoc docendi munus, quod ipſius exemplo exercetur? quàm verò gratiſsima ante omnes ſit iuris ciuilis explicatio, negare quis audeat? cùm per illud humanum hoc genus tantopere ab eiuſdem Maieſtate dilectum, tot commoda, tot vtilitates conſequatur? cùm illi, quòd more hominum viuamus, quòd ius, quòd fas, quòd religionem coli videamus, acceptum referri debeat? Quamobrem gratulabar mihi antea, & magnopere gaudebam, quòd huic me Iuris Ciuilis profitendi muneri addixiſſem, nunc verò omnibus lætitijs exulto, cumulatiſsimo gaudio triumpho, cùm ad hoc idem obeundum tam ſplendidam, tam honorificam, tam glorioſam veſtra mihi, grauiſsimi Magiſtratus, benignitas occaſionem præbuerit; illa mihi video quas impoſuerit partes, agnoſco beneficij magnitudinem; ſed quo pacto gratum

ani-

animum sperem testatum satis posse relinquere, dicamne, me enixè curaturum, ut gratiam referam, non est fortunæ, non est humilis conditionis meæ: an uerò summa cura conquisitis, & ex intimo artificio depromptis uerbis gratias agendo satis me pro tanto beneficio facturum sperem, quod si coner hac ingenij mei tenuitate, molesti; & amentis nomen feram, hoc uno spem facit uestra benignitas, fore, ut si non abundè, satis fortaße relatam gratiam existimetis, si uestræ ornatissimi Adolescentes utilitati toto pectore inseruiam, si quantum conniti, atq; efficere potero, tantum conferam ad studia uestra promouenda, si operam dedero, ut, quæ mihi natura non indulsit, uel præteriti temporis negligentia sunt deperdita, assidua diligentia, pertinaci labore, summis uigilijs, si fieri potest, consequar, & id totum ad utilitatem; & commodum uestrum depromam, atq; effundam, quod sicut ego de me uobis polliceor, & re præstaturum spero: ita uos abiectis omnibus alijs curis, incumbite in hæc studia, quæ præcipua uobis, & Patriæ, & toti humano generi honori, & emolumento esse possint. His Imperatoribus præstantissimis, me etiam non gregario duce uirtutis arcem in summo monte asperitatis pleno positam adoriri iam iam debetis, iam arma, iam scalas, iam omnia ad oppugnationem necessaria comparastis abundè instructi humaniorum studiorum doctrina, maiora nunc sunt audenda, erigendum in collem agmen, propius huius arcis muri subeundi, statuendæ in illis uictrices Aquilæ; neq; uos aut prærupta, aut confragosa loca terreant, aut præcipites diruptæq; crepidines retardent; est hæc aliorum, multorum etiam uia signata uestigijs; en qui uos labentes sustinebunt, lapsos

erigent,

erigent, fessos recreabunt, timidos praeundo audere docebunt; molliendum est opportunis iter anfractibus, putrefacienda igni, & aceto saxa, non sicut olim in Italiam transeuntem Hannibalem fecisse tradunt: vobis sit acetum acre studium, acerrima pertinacia, sit ignis ardens desiderium, flagrans cupiditas, faces illae, quibus Scipio, quibus Themistocles ad gloriam inflammari pectus sentiebant: saepè legimus muralis coronae, aut alterius militaris doni praemio incitatos milites certissimis vitam periculis obiecisse, & inuia, & inaccessa superasse, vos, quibus nullum periculum imminet, quibus tanta praemia proponuntur, quibus de humano genere benemerendi, quibus diuinam promerendi gratiam facultas datur, erit nè, vt labore frangi, vt desidia retrahi vos sinatis? non ita, non ita. eia alacres potius, macti virtute in tanta praemia dignos parate animos, curate corpora, vt integri, ac vigentes crastina die Deo Auspice gloriosissimam hanc oppugnationem aggredi incipiamus. Tu verò Illustrissime Antistes, Tu Reuerendissime Vrbis Praeses, vos grauissimi Magistratus, Vos Patres amplissimi collegae mei, amore fratres, obseruantia parentes: Vos, quot quot adestis, ornatissimi auditores, estote precor rectae voluntatis meae, estote laborum testes, fautores, adiutores, meque in protectionis, & beneuolentiae vestrae sinum ita recipite, sicut ego me vobis, dico, ac deuoueo.